DE PHILOSOPHIA, PANATHENAICAE DVAE:

IN COMITIIS OXONII HABITÆ.



DVLCES ANTE OMNIA MVSÆ.

Arch. Bodl. B.
I. 134

QVAESTIO PRIMA.

An Auſtrales Aquilonaribus ſint ingenioſiores?

INgenij primas, cur, turgide Bætice, ſumis?
Iure tuum nemo, quod rapis, eſſe dabit.
Non tam auerſus equos noſtro ſol tingit ab orbe,
In tam deſerta nec regione ſumus.
Pinguia cùm nobis ſint cetera; mentis acumen
Ingenio certat, te trepidante, tuo.

QVAESTIO SECVNDA.

An melius ſit hoſtes in ſuis ipſorum regionibus adoriri, quam exſpectare dum nos in noſtra adoriantur?

FOrtius in propriis hoſtis proſternitur oris,
Turpiter in noſtras ſæuiet hoſtis opes.
Nobilitate minor tutis fera ſtabit in antris,
Magnanimus quæuis perget ad antra leo.

QVAESTIO TERTIA.

An ſint fatales rerumpublicarum conuerſiones?

REgna regunt numeri? fato reſpublica pendet?
Virtuti tota non erit vrbe locus?
Heu nimis anguſtas cæca formidine mentes,
Quas ſtupidas fati fabula vana mouet.

PANATHENAICA PRIMA,
V. ID. IVLII 1585. HABITA.

QVærenti mihi, multúmque & diu cogitanti, quæ de re longè omnium maxima grauiſſimáque, more maiorum, ex officij mei ratione, & pro veſtra, Viri literatiſſimi, exſpectatione dicenda ſint: occurrit, in ſumma copia, extrema inopia, & in maxima facilitate, non minor difficultas. Nihil quidem certè copioſius, nihil vberius, quàm de Philoſophiæ vi ac natura, dignitate & laudibus dicere. Qua in amplitudine, pęnéque infinitate materiæ, nemini oratio nili infantiſsimo, planéque elingui deeſſe poteſt. Verumenimuerò ita ſolet plerumque accidere, vt ſumma rerum affluentiâ & abundantiâ, noſtra imbecillitas quodammodo obruatur atque opprimatur: vt verè dicere videamur, amplisſima ea eſſe, quæ ampliſsima non ſint, & facilima, quæ non facilima. Difficilem enim operoſúmque exitum ipſa varietas & copia rerum, orationi affert: & facilitas ipſa quæ ferè cum rebus peruagatis ac contritis ſolet eſſe coniuncta, ancipitem cogitandi curam illis relinquit, qui communia & peruulgata, ad faſtidium auditorum ac nauſeā proferre nolint. Me tamen iſta difficilima facilitate laborantem

tem & inope copia impeditum, eximia veſtra humanitas erigit, ſingularis candor recreat, benignitas incredibilis conſolatur. quibus ego, communibus omnium veſtrûm, & ſingulorum proprijs virtutum ornamentis fretus, ad eam cauſam agendam in hac auguſtiſſima veſtra frequentia, quæ vobis omnibus eſt notiſsima, accedo. quo fit, vt mihi non ſatis expedita & explicata dicendi ratio videatur, cùm de eiuſmodi rebus differendum ſit, quarum cognitione ac ſcientia non leuiter tinctos, ſed penitus imbutos animos veſtros cognouimus. Quocirca omnibus precibus, à vobis, Viri eruditiſsimi, peto: vt quæ vobis probè ſunt perſpecta & cognita, qui ad eruditionis perfectionem aſpiraſtis, & ad iudicij maturitatem peruenistis: ea in memoriam vobis reuocari moleſtè non feratis. Vóſque ſimiliter rogatos volo, qui mecum in iſto ſtadio curritis, paríque diſcendi ſtudio flagratis: vt perbenignè pérque attentè de ijs rebus agentem, quarum mirifico vtrique noſtrûm amore, cupiditate, admiratione trahimur, audiatis. Nam ſtudium hoc ſapientiæ, quod Philoſophiam appellare ſolemus; (vt certam eius originem, verámque proſapiam ab vltima repetamus vetuſtate) vnà cum humano genere ortum eſt. quod etiam intima quadam beneuolentia, familiaritatéq; arctiſsima, complexa videtur. cetera ſiquidem animantium genera, quæ rerum omnium parens, natura, rationis orationiſq; diuino munere carere voluit, ſapientia fugiens & auerſans: cum eo animantium genere ſocietatem coijt, & amicitiam contraxit, quod rationis, intelligentiæ,

consilij, orationis particeps esset. ad quam quidem excipiendam, ne qua defuisse nobis, optima parens, natura videretur; præcipuum quendam & ardentissimum veritatis amorem, (in cuius inuestigatione, perspicientia ac solertia, sapientia ipsa versaretur) in animis nostris ingenerauit. Huic etiam veritatis amori, cognitionis ac scientiæ cupiditatem; qua, ad veri inuentionem excitaremur atque inflammaremur, adiunxit. itaque omnes, natura duce & magistra, ad cognitionis & scientiæ cupiditatem exardescimus. in qua excellere, pulchrum, glorioſum, ac prædicandum ducimus: nescire autem, ignorare, labi, decipi; turpe, ignominioſum, & pudendum existimamus. Quamobrem cùm hæc ita se habeant, vt arctissimo necessitudinis & caritatis vinculo cum humana natura vniuersa, Philosophia connexa sit & copulata: nulla est gens, nulla natio, quæ, cùm insitum naturalémque veritatis ac scientiæ amorem animis contineat; non, ad sapientiæ studium quasi facta, & à natura ipsa comparata videatur. Quid ergo Diogene Laërtio agemus, qui Philosophiam à Græcis profluxisse & emanasse confidenter asseuerat? à quo profectò tam insigni mendacio sibi temperasset, si Platonem aut Aristotelem diligentiùs euoluisset. quod, & hominem Philosophiæ studium præ se ferentem, & Græcum Græcos vnicè colentem & admirantem, & de Philosophorum vitis conscribere instituëtem, maximè decebat. ex veterum etiam historiarum integerrima fide, & grauissima auctoritate, liquet: gentes quãplurimas, Græcis longè antiquiores vetustioresque

oréſque hęc ſtudia coluiſſe, omníque doctrinę laude floruiſſe. quis eſt enim, qui de Hebræorum ſapientibus, Babyloniorum Chaldæis, Aegyptiorum ſacerdotibus, Perſarum magis, Indorum brachmanibus, Britannorum druidibus & bardis, (quorum in omni Philoſophiæ parte vetuſtiſsimam fuiſſe famam, gloriámque ampliſsimam conſtat) non audierit? nec tamen ita me intelligi velim, quaſi aut nullam, aut obſcuram Græcorum in Philoſophia laudem fuiſſe exiſtimem: imò verò eorum ingenia admiror, eruditionem ſuſpicio, copiam varietatémque vtraque in cœlum manu effero. literarum artem diligenter coluerunt; eloquentiam mirificè ſunt amplexati; diſſerendi ſubtilitate præſtiterunt; numerorum ſcientiam tenuerunt: magnitudinis vim proprietatéſque perſpexerunt: vocum numeros concentúſque indagarunt: aſtrorum notitia excelluerunt: de vita & moribus præceperunt: in rerum abſtruſiſsimarum cauſis rimandis & expiſcandis elaborarunt: nullam denique ſapientiæ partem aut omiſerunt, aut ſummo ſtudio non ſunt perſequuti. eſto igitur hæc illis, cum multis alijs gentibus gloria communis: non autem ipſorum propria & peculiaris. neque verò hanc ſibi laudem, tanta cum ceterarum nationum iniuria deferri patiuntur: eóſque huius leuiſsimi circulatoris, tam putidè ac rancidè adulantis pudet. habent certè illi, in quo ſoli verè gloriari, & de quo ſibi maximè gratulari poſsint. multis enim iam ſeculis, vetuſtiſsimorum illorum, quos modò retuli, Philoſophorum ſcholæ conticuerunt: &, quod magis dolendum eſt, diuina

corum

eorum monumenta, siue temporis, quod omnia labefactat, decursu: seu fatali aliqua calamitate, siue hominum incuria & negligentia, perierunt. solos Græcos nobis temporum iniquitas non abstulit: quorum vberitate & copia Latini Arabésque completi, maxima nobis ad Philosophiæ cognitionem attulerunt adiumenta. Græcorum fontibus, Latinorum Arabúmque riuulis nostræ sunt irrigatæ Academiæ. ex qua tam numerosa multitudine, pauciſsimos nobis relictos videmus. vix enim vnum aut alterum ex principibus Græcis, qui familiam in Philosophia duxerunt, præter Platonem & Aristotelem: nec verò istorum aut omnia aut integra habemus. ac Platonem quidem nemo ferè ex his qui aliquam ex philosophia laudem expectet, non habet semper in ore: eius autem libros, acutiſsimè eloquentiſsiméque perscriptos, quotus quisque est qui curet legere? Multorum scilicet animos peruasit opinio, omnia eius dogmata ab Aristotele fuisse peruulsa ac labefactata: vt frustra omnis in eo lectitando sumatur labor. pulsus itaque ciuitate ostraciſmo Plato, exsulat: potitur rerum ac dominatur Aristoteles. atque vtinam quidem dominaretur, aut in aliquo saltem honesto ac magnifico esset loco. Hunc eum ipsum, quem ampliſsimis maiores nostri honoribus fuerant prosequuti, quem à nobis etiam coli voluerant, è sua sede eiectum & deturbatum vidimus: illiúsq; amœniſsima spatia, in quibus colloqui nobiscum ac disputare solebat, sentibus, virgultis, ramis horrida & squalida aspeximus. *Cedo quî vestram rempublicam tantam*

tantam amiſiſtis, tam citò? inquit ille apud Næuium: cui reſpondet alter, *Prouehebantur ad res noui, ſtulti, adoleſcentuli.* De ſumma reipublicæ philoſophicæ, quid ſperandum, aut metuendum potiùs ſit, dum tanto ſint in pretio homines noui, ignobiles philoſophaſtri, nulla ſapientiæ commendatione illuſtres, animis prouidere poteſtis. veſtrum eſt, ne quid reſpublica capiat detrimenti, curare. nolo quidquam triſtius ominari, atq; vtinam falſa ſit mea diuinatio. ſed tamen vereor, Patres Conſcripti (ita enim mihi liceat vos compellare, qui ad reipublicæ literariæ clauum ſedetis) vereor, ne noſtra iſthæc reſpublica, quam nobis maiores florentiſſimam reliquerunt, (ſi minùs verborum ſplendore & apparatu ornatam, rerum certè magnitudine inſtructiſſimam & varietate refertiſſimam,) ab inertia & inſcientia vehementer conquaſſetur. veſtræ erit virtutis, prudentiæ, auctoritatis, ſartam tectam hanc auguſtiſſimam rempublicam conſeruare; & ſeditioſos ciues, pacis & otij perturbatores, coërcere. nos verò, qui ex equeſtri ordine & è populo ſumus, reipublicæ dignitatem, quæ profectò vetere diſciplina conculcata, poteſt eſſe nulla, tueri debemus, & in hanc curam cogitationémque totis ingenij viribus incumbere. Proponamus nobis ob oculos, perfectos omni ſcientiarum genere homines: eorum veſtigia ſollicitè perſequamur, exempla diligenter imitemur, præcepta cupidè imbibamus, ſenſa ſolerter teneamus. ita non erit nobis magnoperè laborandum, vt nouos hoſce ſapientiæ doctores arceſſamus? qui methodi ſuæ ſubtilitate omnia

nia limare ac polire se posse confidunt,

Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.

Habetis quos in omni doctrinæ genere sequi & tutissimè, & magna vestra cum vtilitate dignitatéque possitis. Iam verò hoc ipsum philosophari, nihil aliud est, quàm quodammodo mori: nec philosophia, quàm vita mortua; aut, mors vitalis. non enim tam mortis meditatio, quàm mors ipsa censeri debet, cùm animus à corporis officijs seuocatus, seséque colligens, atque omnem vim suam ad rerum æternarum contemplationē conuertens, earum incredibili perfunditur voluptate. hac in morte cùm viuimus, primum nos ad philosophiam gradum adeptos sciamus. vitalis siquidem, vti dixi, hæc mors censenda est, & sanè quidem vera vita.

Non est viuere, sed valere, vita,

ait facetissimus poëta, haud malè. sed ita multo verius, *Non est viuere, sed studere, vita.*

Discendi etiam studio incendi nos oportet, rerúmque quas philosophia tractat, maximarū pulchritudine captos, amore inflammari vehementissimò, & summa admiratione ebullire. hæc est illa nimirum amatoria ars, quam profitetur Socrates, vt apud Platonem legimus: quam solam, cetera cùm ignorare se dicat, scire præ se fert, hanc serio & ioco vnicè admiratur. quid quòd maiores quoque nostri, optimi & prudentissimi viri, ad hunc eum ipsum diuinissimum amorem nos excitare voluerunt? quid enim aliud sibi volunt magnificentissima ista musarum domicilia quibus totus terrarum orbis nihil habet ornatius, nihil

hil auguſtius? num ad delicias, aut corporis voluptates, aut inanes delectationes, tam præclarè fundata, tam ſplendidè ædificata arbitramur? imò verò non tam hæc externa nos ſpectare voluerunt, quàm iſtius pulcritudinis ſimilitudinem ab oculis ad animum transferre, atque ita mirabiles ſapientiæ amores, cui illa dicarunt & conſecrarunt, concipere. quin igitur rerũ longè præſtantiſſimarum amore flagramus? quibus ad vtilitatem, nihil vberius: ad delectationem, nihil amœnius: ad gloriã deniq; & celebritatem, nihil illuſtrius. Parùm altè ac magnificè, ne dicam ſordidè & abiectè à Neoptolemo dictum fertur: Philoſophari quidẽ ſibi neceſſe eſſe, ſed paucis: nam omnino, haud placere. eſtne cur quiſquã vereatur, ne ſit in eo nimius, in quo, quò plus elaboret, eo maiorem gloriam reportet, ampliorémque vtilitatem percipiat? ſummouendos arcendóſque à ſuis finibus iſtiuſmodi homunciones philoſophia clamat,

——Procul hinc, procul ite profani.

Niſi enim illa ſola ametur, ac penitus colatur, ſpretam ſe ac contemptam putat. non ſunt ergo audiendi, ne ferendi quidem, qui leuiter ſtudia iſta libanda, & quaſi extremis labris guſtanda dicunt. Polyphemum Homerus, cùm immanem ferúmque finxiſſet, cum ariete etiam colloquentem facit: ciúſque laudare fortunas, quòd quà vellet ingredi poſſet: &, quę vellet, attingere. & rectè quidem. nihilo enim erat iſte Cyclops, quàm aries ille, prudentior. iſtos itidem Cyclòpas, indignos planè, quos homines alloquantur, ipſi cùm nihil aliud quàm pulcherrimæ beſtiæ ſint,

sint, ad belluas pergere, & cum illis colloqui fina-
mus, *Cum suis viuant valeantq; brutis.*

AT enim, dicet aliquis, non est omnium philo-
sophari,

-- Non omnia possumus omnes.

Sanè. nam plerique aut non omnino, aut certè per-
parum, quod æquè turpe est, sibi philosophandum
putant. aut enim ambitione torquentur, aut auaritia
obcæcantur, aut voluptatum lenocinijs fascinantur,
aut aliqua denique leuissimarum rerum cupiditate
torrentur. ad bellicos vsus, inquit, nos finxisse natura
videtur, quos in has frigidas & extremas regiones,
corporum robore, animorúmque ferocia præditos
abiecerit: literarum autem studia ab illis tractari vo-
luit, quos acutissimis ingenijs ornarit. hoc igitur di-
cere vult, hoc sentit, Australes Aquilonaribus inge-
nij præstantia & gloria sunt longè superiores. Hispa-
ni, Siculi, Peloponnesij, Cretenses, Syri, Arabes, Per-
sæ, Susiani, Gedrosij, Indi, Aegyptij, Cyrenæi, Numi-
dæ, Pœni, Lybici, Mauri, ceteríque qui in Australibus
habentur populis: Britannos, Hibernos, Danos, Ger-
manos, Gothos, Sarmatas, Scythas, reliquósque A-
quiloni vicinos, acumine sapientiáque antecedunt.
Nos verò contrà contendimus, nos ingenio nihil es-
se illis inferiores, sed pares potius & æquales. Vnam
enim eandémque communem parentem naturam
habemus: quæ nobis etiam ingenium, mentem, in-
telligentiam, rationem, memoriam, orationem, iu-
dicium largita est. Si non eâdem mensurâ, id quod
isti iactitant: potuit quidem certè: noluisse autem,

optimam

optimam & indulgentiſſimam parentem, credibile non eſt. iam verò, in cœli aſtrorúmque poſitu, in ſoli ſalubritate & amœnitate, tantam vim non ineſſe, quantam nonnulli opinantur, quis non videt? recta educatio & diſciplina longè maximam hîc vim habet: qua effici perſæpe videmus, vt etiam à mediocribus ingenijs acutiſſima ſuperentur. Sed iſtorum quanta ſit ſubtilitas, quàm diuinum acumen, videamus. Aegyptiorum religio ſatis arguit, quàm pinguis & adipalis ſint ingenij. de qua ita Iuuenalis,

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa, pauet ſaturam ſerpentibus Ibin.

Saluete equorum filiæ, de mulis dixit Simonides: ſaluete aſinarum filij, ingenioſiſſimis iſtis Aegyptijs acclamare poſſumus. Pœnorum autem Lacedæmoniorúmque natio, Scythis pænè ipſis immanior & bellicoſior eſt: ſapientiæ nulla, roboris & audaciæ ſola laude ceteris antecellens. de Cretenſium vanitate ac mendacijs, multa accepimus: de ingenij eorum præſtantia, nihil audiuimus. Romani Siculos, vt tardos & hebetes illudebant. *Quid tu*, inquit ille apud Plautum, *ô momar, Sicule homo præſumis?*

Sed quid ego vetera iſta cõmemoro? quàm enim ſit à veritate diſiunctum ac remotum, quod de iſtorum admirabili acumine iactatur, ex rebus ipſis cognoſcere poteſtis. nam, ſi ſolos Hiſpanos excipias (qui tamen pari cum Pœnis ſtudio, rei bellicæ dediti ſunt, nec nimia hominum literis incumbentium multitudine laborant) ceteri illi, Turcica immanitate oppreſſi:

preſsi: ne minima quidē aut tenuiſsima ingenij gloriola florent. ad quæſtum ſcilicet ex ſordidiſsimis artibus corradendū ſe prorſus abiecerunt. quid? Turcę ipſi, qui multis iam ſeculis, has regiones occuparūt, in quibus excellentiſsima ingenia naſci putantur, num in aliqua ſunt ingenij laude? noſtrorum autem hominum multa diuinitùs inuenta apertè declarant, quàm arroganter ac ſuperbè noſtra illi contemnant ingenia: ſua, nimis, & falſò, & nimis falſò, venditent. quid enim vnquam excogitarunt illi, quod cum ſubtiliſsima & admiranda arte Typographica, vlla ex parte conferendum: aut, quod cum bellicorum tormentorum inuentione comparandū videatur? cuius vtriuſque ſuſpiciendæ inuentionis gloria, noſtrorum hominum propria eſt. gymnaſiorum autem multitudo, hominúmq; literarum ſtudijs deditorum, longè maior in noſtris hiſce Borealibus regionibus, quàm in vniuerſa Aſia & Africa, multò maximis terræ partibus, reperitur. ſed age, iſtorum hominum acumen noſtris quibuſdam quæſtionibus probemus. Quid igitur ingenioſiſsimi viri (vos enim compello, veſtram prudentiam requiro) cenſetis? Satiúſne eſt, domi hoſtes exſpectare, quàm bello in ſuis ipſorum regionibus laceſſere? Iſta certè ſententia tam veſtram timiditatem decet, quàm noſtram magnanimitatem dedecet. noſtræ autem ſententiæ, de laceſſendo in ſuis finibus hoſte, vindices & aſſertores, permultos, omni laudis genere præſtantes habemus. ex qua ingenti multitudine, tres modò in medium adducere, ſatis arbitramur, Scipionem, Hannibalem,

lem, Demoſthenem. quorum, illi quidem, ſummam æternámque fortitudinis laudem ſunt conſecuti: hic autem, perfectam eloquentiæ prudentiæque laudem adeptus eſt. Illi, non ſolùm verbis & oratione, ſed reipſa & factis hanc noſtram ſententiam comprobarunt. Hic, eandem Athenienſibus, luculentis rationibus perſuaſit: quas in extrema Olynthiaca prima haſce ferè affert. longè maiora grauioráque incommoda accipimus, cùm noſtram hoſtis regionem, armis obſeſſam tenet, ex agrorum depopulationibus, domiciliorum conflagrationibus, bonorum expilationibus: quàm ſi cum hoſte in ipſius finibus dimicaremus. quem etiam inuiti, contra noſmetipſos, noſtris bonis fouemus & confirmamus. huc accedit, militum in ſenes, mulieres, pueros, virgines, ceterámque bello ineptam turbam, contumeliæ & iniuriæ: de quibus ne cogitare quidem ſine horrore poſſumus. poſtremò ipſa timiditatis opinio, ſummum dedecus & ignominiam inurit. horum trium maximorum virorum auctoritate, & tribus hiſce ſapientiſſimi oratoris argumentis contenti erimus: ne, ſi, quę in hanc ſententiam adduci poſſent, perſequeremur, infiniti ſimus. Reſtat, vt de rerumpublicarum conuerſionibus agamus: quas fataliter floreſcere & defloreſcere, certis annorum ſpatijs circumſcriptas, nonnulli augurantur. eſſe enim ſenium quoddam, quo illas tandem aliquando confici neceſſe ſit. opinioſiſſimorum hominum ieiunę diuinationes ſunt hę, nullis rationum præſidijs nixæ. quod autem de ſeptenarij & nouenarij quadratis & cubis, perfectis ſphæri-

 ciſque

cíſque numeris afferunt, tam eſt ridiculum, quàm id quod ſcribit Hieronymus Cardanus, maxima imperia, ab extrema maioris vrſæ caudâ pendêre. vna rerumpublicarum peſtis, ac præſentiſſimũ exitium, in hominum moribus hæret. nimiæ paucorum opes, extrema ceterorum inopia: non ferenda certorum potentia, reliquorum contemptus, iniuriæ, oppreſſiones. ex æquabilitatis perturbatione diſſidia, ſimultates, odia, tumultus, bella, ſtrages: totius tandem reipublicę interitus & excidium conſequitur.

Hæc ferè habui, quæ in præſentia his de rebus dicerem: quæ auſtralibus hominibus, quos modò in concionem coëgi, quorum ſententias rogaui, quàm probentur, non magnoperè laboro: veſtræ autem prudentiæ, eruditioni, iudicio, qui doctiſſimorum humaniſsimi, & humaniſsimorum doctiſsimi eſtis, ea placere, maximè cupio: &, ſi ita humanitas veſtra iubet, ſpero.

QVAESTIO PRIMA.

An, qui vir bonus non ſit, poſsit eſſe ciuis bonus?

Simplicitas, ſincera fides, mens neſcia fraudis,
Fraude ſua (mirum) ſimplicitatis obeſt.
Et vitium virtutis amans, (quis credere poſsit?)
Commoda, quæ cunctis maxima viſa, dedit.
Scilicet innocuum peragit ſanctiſſimus ævum,
Qui nulla ciues commodus auxit ope.
Vir malus, officijs, rebuſque viriliter actis,
Optimus eſt meritis cognitus vſque ſuis.

QVAESTIO SECVNDA.

An facilius voluptati quam irae obſiſtatur?

Spernere blanditias, iræ cohibere furores,
Durus vterque labor, dignus vterque viro.
Laus maior, blandas vitare cupidinis artes,
Frangere quàm vires, mens furioſa, tuas.
Suauibus alloquijs animum male-ſuada voluptas
Pellicit, horrenda verberat ira manu.

QVAESTIO TERTIA.

An ex ignobilioribus metallis aurum elici poſsit?

Aurea quæ ſuluos tibi ſpondet Chemia montes,
Ludit; & eſt factis vana reperta ſuis.

Quia

Quid mihi regis opes, rutiliq; talenta metalli,
Cùm videam famulos panis egere tuos?
Quolibet ex ligno non fit Cyllenia proles,
Nec fuluus vili prodit ab ære decor.
Ille Midæ patulas stupidissimus erigat aures,
Quem misera cupidum credulitate foues.

PANATHENAICA SECVNDA, III. ID. IVLII 1586. HABITA.

HYPERIDES, qui summus Athenis habitus est orator, cùm Phrynes causam agere institueret, ipsam quoque in iudicium adducendam existimauit. cuius viri incredibilem dicendi copiam, & perfectam eloquentiam, vt semper antea, sic tum maximè, Athenienses cùm mirarentur: nisi tamen singularis feminæ venustas & summa pulchritudo, causâ peroratâ, iudicum oculos perstrinxisset, & ad maiorem sui admirationem concitasset animos: illa, pœnas legibus sancitas dedisset, & capitis periculum subijsset grauissimum: talis & tantus orator causa cecidisset, & ex altissimo dignitatis gradu deiectus, extremam contraxisset ignominiam. tam vehementer animos ea quæ aspectum mouent, impellunt: cùm ea quæ auditum permulcent, continuò elabuntur & effluant. philosophia itidem

dem ipſa, ſi in hoc ſe conſeſſu & celebritate ſiſtere poſſet, ſuámque diuinam pulchritudinem omnium oculis ſubijcere: omnium profectò tui admiratione incenderet animos, nullius orationem requireret, nullius voce egeret. neque tamen illa cuiuſquam opem aut operam, ad periculum propulſandum, aut gratiam eblandiendam, aut amorem conciliandum, aut famam colligendam, deſiderat: ſublimior ſcilicet & excelſior, quàm vt illi ab hominibus noceri aut incommodari poſſit: ſuis opibus ita inſtructa ita dignitate ornata, ita potentia munita, ita beatitudine cumulata: vt humana omnia, ceu longè infra ſe poſita, contemnat ac deſpiciat. veruntamen, cum pulchritudinẽ eius auguſtiſſimam ſtrictim per tranſennã aſpicere & intueri liceat: haud ſcio, an nonorationis, quamuis eloquentiſſimæ & copioſiſſimæ ſplendorem obſcuret, gratiam minuat, admirationem exſtinguat. huius certè cupiditate non tam cuiuſquam verbis & oratione inflammari, par eſt: quàm rei ipſius mirifica quadam excellentia, & maieſtate planè diuina. equidem Ciceronis, aut Platonis oratione, cùm de philoſophiæ præſtantia diuinitus agunt, ita me capi ſentio, vt Hyperidis eloquentia Athenienſes delinitos auguror. cùm autem in excellentem philoſophiæ ſpeciem, & ſingularem venuſtatem oculos conijcio: labitur illa continuò ſuauitas, qua mirificè delectabar: & in huius admirationem, maiore quadam vi, totus rapior. quid enim attinet, in philoſophiæ laudibus cuiuſquam orationem verſari: aut quenquam tam intemperanter otio & literis abuti,

vt de illius excellentia dignitatéque ſibi ſcribendum putet? Deorum numen vt omnibus honoribus mactare, ſanctum, pium, ac religioſum haberi ſolet; ita, laudibus efferre velle, ineptum, ridiculum, exſibilandum videtur. orator neſcio quis, ſuo iudicio, magnus, aliorum, tolerabilis: laudes Herculis prædicaturus: aſtantium pleriſque audiendi cupidis, hominis inſciriam & importunitatem, iam dicere parantis, è corona quiſpiam miratus, & indignatus: Et quis, inquit, Herculem vituperat? ſimiliter, ſi veterum ſophiſtarum aliquis reuiuiſceret, qui in philoſophiæ laudibus exponendis & prędicandis acumen & eloquentiam oſtentare vellet ſuam: ex hac ipſa frequentia fortaſsis exiſteret, qui hominis arrogantiam tali aliqua interrogatione retunderet ac comprimeret: omnes certè, tacitis cogitationibus, non magis illum ſapere, quàm coaxantem ranunculam, quod de Protagora dixit Socrates, clamarent. atque haud ſcio, an, quod eruditis quibuſdam placere video, frigidè laudare, grauius ſit, quàm acerrimè reprehendere. Homini ab homine, virtutis rectéque factorum nomine, laus ritè deferri poteſt; diuinum autem ac cœleſte ſapientiæ munus laudibus ornare velle: ſolem eſt clariſsimum tenui face oſtendere conari. quanquam ne homines quidem virtute præſtantes, quibuſuis rumuſculis capiuntur: ſed maximorum, clariſsimorúmq; virorum conſtantiſsima opinione, & iudicio mouentur grauiſſimo. nemo vnquam ſine numinis afflatu egregius poëta exſtitit: & Democritus Homerum diuina fuiſſe natura cenſet, cuius vi &

poteſtate,

poteſtate, tam admirabiles verſus ediderit. fieri poteſt vt errem, ſed tamen ita exiſtimo: neminem, ſine diuino numine & voluntate, non dico philoſophum, ſed ne philophiloſophum quidē eſſe poſſe. Socrates etiā à ſuo ſe genio ſæpius admonitū dicit, vt ſua illis conſuetudine interdiceret, qui ad philoſophiam capeſſendam ingenio minus apto & idoneo viderentur: multoſque, qui diuinæ voci parêre noluerant, fruſtra Mineruæ repugnaſſe, nihilo meliores ſapientioréſque redijſſe. Pythagoras autem, qui ſapientis appellationem nec ſibi deferri voluit, nec mortalium cuiquam, ſine inſigni æterni numinis contumelia, tribui poſſe iudicauit; ſapientiæ diuinitatem num dubiam & incertā reliquiſſe videtur? Non eſt profectò, non eſt, humanum & mortale, quod tantis ſtudiis tot laboribus, nulla mercede adducti, nullis præmijs inuitati: opibus, gratia, honoribus, potentia, neglecta & contempta, ſummi ſemper viri ſecuti ſunt. aliud proculdubio, longè ab his diuerſum, ſpectarunt: quod ſublimius, permanentius, glorioſius iudicarunt. quod ipſum quale ſit, hominum equidem arbitror ſcire neminem: multò minus ad id contendere & aſpirare poſſe. & tamen fuerunt multi, iamq; ſunt, in hominum ſocietate, qui bonum illud perſpexerunt, & id ipſum ſunt aſſequuti. quos, perinde ac reliquos mortales, vulgus, opinionis errore, homines eſſe putat: cùm illi, humana imbecillitate exuti, deorum æuo & beatitudine fruantur. Vt, non imperitè & arroganter, ſed prudenter & verè Theages dixiſſe ac ſenſiſſe videatur: qui cùm philoſophus ef-

fici vellet, Deum se fieri velle aiebat. nomine videlicet & appellatione magis, quàm re & natura à Deo philosophus differt. sed enim, *-deus immortalis haberi*
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insilit.
sui fortasse numinis furore præceps ferebatur:
---sit fas liceat q; perire Poetis.
ipsi viderint: nostrum non est, poëtarum culpam præstare. at is, de quo loquimur, non solùm eximius poëta, sed nobilis etiam philosophus fuit. ergo poëta illo incendio conflagrauit: philosophus autem, qui mori non potuit, ad suã concesit immortalitatem. nam, quod inter eruditos vulgo iactari solet, *Diuus Plato, Dæmonius Aristoteles*: id latiùs patêre, & cum ceteris quoque philosophis communicari debere, quamuis isti maiorum gentium dij sint & habeãtur, arbitrandum est. neque enim philosophi sunt mortales, sed eorum corpora: cùm non sint ii, quos forma ista declarat. mens cuiusq; is est quisq;, non ea figura quæ digito monstrari potest. Deos igitur eos scitote esse, siquidẽ Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prouidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui præest: quàm hunc mundum princeps ille Deus. &, vt mundum ex quadam parte mortalem, ipse Deus æternus: sic fragile corpus, animus sempiternus mouet. qui diuitijs student, honores ambiunt, voluptates consectantur: illi, quandoquidem ita volunt, homines appellentur. qui autem à vitijs, tanquam vitæ pestibus teterrimis, abstinent, qui iustitiam & pietatem colunt, qui huius vniuersi immẽsitatem,

ſitatem, conuenientiam, ordinem, pulchritudinem, conſtantiam, motum, ſtatum, vicéſque contemplantur: qui rerum ſingularum origines, cauſas, principia, ortus, interitus, mutationes, varietates, viciſſitudines proprietates, affectionéſque perſpiciunt: qui, ſocietatis humanæ vincula, rationem, orationem, iuſtitiam, prudentiam, amicitiam, moderantur: qui denique nihil abiectum cogitant, nihil humile moliuntur: vtrum hominum, an deorum potiùs, in terris, qualem aureo ſeculo fuiſſe, tradunt fabulæ, vitam degere videantur? neq; tamẽ propterea, cum, qui philoſophi titulum ſibi arroget & aſſumat; hac continuò beatitudine cumulatum cenſuerim. nunquã ego Epicurum, aut Mimnermum, aut Nauſiphanem, aut eorum quenquam qui voluptate omnia metiuntur, ſapientem aut philoſophum dixerim. quos, vt ad paſtum pecudes natura: ſic ad exſatiandas libidines vecordia abiecerit. ventri & abdomini nati videntur: nec vel pictum philoſophum vnquam vidiſſe, animaque illis, vt ſuibus, loco ſalis, ne putiſcerent, data. quibus enim gradibus mens in cœlum aſcendit, vt admirabili ſapientiæ luce compleatur, & perficiatur diuinitate: ijs, aut ignoratis, aut prẽteritis, belli iſti homunciones, philoſophorum dignitatem adipiſci ſe poſſe confidunt: imò iam ſe adeptos iactant & gloriantur, ſed opinatio, vt Heraclitus dicere ſolebat, ſacer eſt morbus. quo qui iſtos teneri & perditè laborare, non fatetur: idem meridie lucere neget, & immanes illos Alóadas, qui viribus ac vaſtitate corporis freti, in cœlum perrumpere & irruere ſunt conati, ſapientes ac

fortes

fortes fuisse, prædicet. certi enim sunt, vt dixi, gradus, & via quædam, quam, vt sapientiam adipiscare, insistere omnino necesse sit: à qua, si deflexeris, cassus & inanis labor omnis suscipitur, ne dicam, pernicioſus, qualis Phaëthontis fuisse, & Icari traditur conatus. arduum iter est, ac difficile: multis spinis & sentibus asperum ac molestum. neque enim putandum est, *Salmacida* hîc quæri *spolia*, *sine sudore & sanguine*: sine certamine, coronam: sine bello, triumphum: quę magnus animus, altus & excelsus, ne amplissimis quidem conditionibus adduci poterit, vt accipiat. quæ pulchra, vt vetere dicitur prouerbio, difficilia: nec, nisi difficilia, pulchra. quæ autem obuia sunt, procliuia, & in promptu: aut vitioſa, aut certè prorsus sunt aspernanda. quocirca, frangi ac debilitari, tanta tam insignis gloriæ spe propoſita, tamque diuino immortalitatis pręmio constituto: animi est angusti, pusilli, contracti: addo etiam, effeminati, imbecilli, eneruati. sed quæ tandem illa via est, qua ad tam mirificum splendorem acceditur, ad tam incredibilem claritatem peruenitur? non solùm statuere quid sit sapiens, maximè sapientis videtur esse: sed etiam, qua ratione sapiens quis euadere possit, ostendere: cum sapientis officio arbitror coniunctissimũ. Audite igitur eius, qui Apollinis oraculo, longè omnium sapientissimus est declaratus, sententiam: eamque auribus & animis imbibite: & reipsa ac factis vobis probandam existimetis. Inanium cupiditatum omnibus fibris euulsis & eiectis: magno & ingenio & animo, ad solidiorem ingenuarum artium perceptionem

tionem accedat. orationis puritati ſtudeat, ne quid hiulcè, ne quid putidè, ne quid rancidè loquatur. tum, eloquentiã & dicendi copiam complectatur, vt de rebus propoſitis, aptè, ornatè, politè dicere poſſit. deinde, rectè diſſerendi rationem teneat: qua verum ſecernat à falſo, quid conſequens, quid repugnans quaq; in re ſit, dijudicet: vt & ſophiſtarum laqueos declinare, & ſuam ſine cõtradictione ſententiã tueri valeat ac defendere. Numerorũ etiam ſcientiã aſciſcat: quorũ in omnem vitæ partẽ vſus patet ac diffunditur latiſsimè: ſine quibus, nec mutuæ ſoni proportiones: nec, magnitudinis inter ſe, ratio & analogia, ſymmetria & aſymmetria: nec cœleſtium motionum calculus conſtare poteſt. illam quoq; metiendi diſciplinam adiungat, quæ ab indiuiduo progreſſa, ad amœniſsimã planarum ſolidarumq; figurarum varietatem, incredibili cum voluptate ſpeculandam deducit. muſicæ præterea ne ſit ignarus & rudis, ſed cũ ad animi, varijs curis & laboribus confecti, oblectationem: tum ad morum etiam informationem, cantu & fidibus ſcienter vti norit. quibus omnibus cum cœleſtium motuum cognitio acceſſerit: quę cœleſtium orbium inter ſe, & ad terram, rationem oſtendat: ſtellarumq; fixarum certos, ratos, & æquabiles motus: erraticarum contrà, vagos, inconſtantes, inęquabiles edoceat: à Pythia ſibi dictum putet,

I bone, quó tua te virtus vocat, i pede fauſto.

naturæ obſcuritatem euoluat, mores regat, rerum principia inueſtiget, naturas indaget, diuinarumque eſſentiarum pulchritudinem intueatur auguſtiſsimã.

quo

quo ſtadio, tam laudabili, tam glorioſo, nauiter ac fortiter decurſo: ſapiens, beatus, Deus, futurus eſt. quòd ſi quis alia ſe ratione eò peruenturum confidit: vnum ex omni memoria proferat, qui alia id ſit via aſſequutus: hanc ſententiam reſcindimus, & permagno nos errore liberatos, non inuiti fatebimur. ſed, ſi nec hoc vnquã fuit, nec eſſe omnino potuit, vt ſine maximarum optimarumq; artium doctrina, ad diuinitatem quiſquam aſpirare potuerit: hæc via,

--qua te quoq; poſſis
Tollere humo, victorq; virûm volitare per ora,

tenenda ac terenda eſt. ſiue eam, laborum exantlandorum cogitatione fractus, aſperam, difficilem, ac moleſtam: ſiue, diuinitatis in animo ſemine excitato & erecto, reiq; ipſius dignitate & amplitudine propoſita & perpenſa: facilem, planam & expeditam, arbitrere. nec verò ſumma & abſolutiſſima in ſingulis artibus perfectio, in futuro philoſopho requiritur, ne ab illo exſpectatur quidem: eſſet enim onus Aetna grauius) ſed præclara & egregia cognitio probatur, atque etiam laudatur magnopere. in ſecundis tertijſue ſi conſiſtas, tuo te cumulatè perfunctum eſſe officio, verè & verecundè gloriari poſſis. æquiſſima ſanè conditio eſt, haud multo maiore labore & induſtria, illuſtrem poſſe philoſophum, quàm architectum nobilem fieri. nam, vt ex Pythij, veteris & nobilis architecti, M. Vitruuius Pollio, nobilis & ipſe cum primis architectus, commentarijs refert: architectum omnibus artibus & doctrinis plus valere oportet: quàm qui in ſingulis totam ætatem magna cum laude conſumpſerunt

ſumpſerunt. nec tamen iccirco tantus in Grammatica debet, aut poteſt eſſe, architectus, quantus fuit Ariſtarchus: ſeu literarum minimè rudis: nec in Muſica Ariſtoxenus, ſed muſicæ non ignarus: nec pictor, vt Apelles, ſed pingendi nō imperitus: nec plaſtes vt Myron, ſed rationis plaſticæ non expers: nec medicus, vt Hippocrates, ſed re medica leuiter tinctus: nec Iuriſconſultus vt Scæuola, ſed in iure ciuili non planè peregrinus: nec in Geometria Archimêdes, ſed in ea non prorſus hoſpes: nec denique in Aſtronomia Ptolemæus, ſed, vt inquilinus ei notus, eaque paululū imbutus. maiora autem à philoſopho, vt tanti nominis ſplendorem ac dignitatem tueri queat, flagitari: quis eſt tam cæcus, qui non videat, tam perfrictæ frontis ac duri oris, qui negare audeat? quid eſt enim tam turpe, tam fœdum, tam ignominioſum, quàm philoſophum architecto, præclariſsimarum artium cognitione, parem & æqualem eſſe? ſunt tamen nonnullæ diſciplinæ, quæ, ſi admittantur & obtineant, præter nudum philoſophi nomen, re ipſa ſublata, nihil nobis relinquent: de cuius etiam poſſeſsione, cum architectis contentio futura ſit. imò, vt veriùs, licet odioſiùs, dicam: quam nobis fabri, opifices & iſtiuſmodi fæces ac quiſquiliæ, ſint erepturi. artium, ſi muſis placet, compendia nobis mirifica pollicentur: quorū diuino beneficio, breui, minimo que, pænè dixeram nullo cum labore, ad ſapientiæ culmen ac faſtigium peruenire valeamus. Pythagoras, cum trianguli rectanguli hypotinûſam, quadratum poſſe, reliquorum laterum quadratis æquale,

deprę-

deprehendisset; Musis sumptuosissimè sacrificasse fertur. huius autem inuenti si constaret veritas sacrificaremus, epularemur, choreas duceremus, lætitia & exsultatione omnia compleremus, tota vita nihil aliud quàm dies festos ageremus. sed hunc ingenij sui fœtum dum nobis probarint, verumque ac legitimum, non spurium & nothum esse, ostenderint: dabunt, vti spero, veniam: (tanta est eorum facilitas, æquitas, bonitas) si nos in Lycéo contineamus, neq; ad eorum partes transeamus. graue est leuitatis & inconstantiæ crimen: defectionis & proditionis, capitale. quapropter his nos castris continebimus, his ducibus parebimus: apud quos tot annos, tanta cum laude & gloria, stipendia meruimus. horum vires frangant, legiones fundant: manus vltrò damus, iuga subimus, nullam seruitutis conditionem recusamus. quid dixi? seruitutis? imò verò libertas amplissima censeri debet, posse, tot erroribus, tam infinitis molestijs liberatos, sapientiæ, tam citò, tam facilè sperare possessionem. animi imbecillitati ignoscite, cernere hæreditatem, adire possessionem dicere volui: sed mea me timiditas abiectius loqui, quamuis inuitum ac reluctantem, coëgit. præstent modò eximij isti philosophi, albæ gallinæ filij, quod pollicentur: ad eorum pedes statim concidemus, eorum numen castè venerabimur,

Vt Baccho Cereriq́, illis sic vota quotannis
Agricolæ facient, damnabunt hi quoq́, votis.

desipuisse Platonem, Aristotelem deliraſſe, Theophrastum, Porphyrium, Syrianum, Themistium, Alexandrum,

xandrum, Olympiodorum, Philoponum, Ammonium, Simplicium, totum Lycéum, vtramque Academiam, vniuerſam denique veterum philoſophorum nationem, palato magis quàm corde ſapuiſſe fatebimur. demonſtrationes exſpectamus, argumentorum perſpicuam & euidentem veritatem requirimus, rationum firmitatem immotam & inexpugnabilem flagitamus. nihil nos inanis verborum, ſine pondere, ſine ſenſu cadentium, ſtrepitus terret: nihil compta & calamiſtrata oratio flectit, oculorũ aciem non perſtringuit. orationẽ ex ſenſu, ſenſum ex veritate, veritatẽ ex rebus ipſis ęſtimamus. quem curſum ſemper antea tenuimus, vt bona ſpes eſt, tenebimus porrò; neque quorundam vel inuidia, vel inſcientia, ab eo conficiendo nos abduci patiemur: vt ad eum, quem ſperamus, immortalitatis portum, paſsis velis, ventiſq; ferentibus appellamus.